

Quomodo natus est Mercurius?

(quomodo: wie?; natus est: wurde geboren)

Mercurius filius Iovis et Maiae est. Maia filia Atlantis est.

Maia virgo pulchra est. Iam scitis: Iovi semper virgines pulchrae placent. Itaque Iuno, eius uxor, saepe irata est.

Maia, quod iram Iunonis maxime timet, in montem Cyllenen fugit. Ibi in spelunca quadam Mercurius natus est.

Maia, -ae: Maia;
Atlas, Atlantis: Atlas
uxor, -oris f.: Ehefrau
Cyllene, -es; Akk: -en
(griechisch): Kyllene
spelunca, -ae: Höhle
quidam, quaedam,
quoddam: ein/e
(gewisse/r)

Responde Latine:

Quis mater Mercurii est? _____

Quis est avus Mercurii? _____

Cuius uxor Iuno est? _____

Quid est *ira* linguā nostrā/tuā? _____

Quid Cyllene est? _____

Ubi natus est Mercurius? _____

Dum mater dormit, Mercurius parvus clam e spelunca fugit.

Nam neque dormire neque in spelunca esse ei placet: multum spectare cupit. Dum per terras ambulat et sole gaudet, statim multos tauros bovesque conspicit. „Quam pulchra animalia sunt! Cum iis ludere cupio!“, secum cogitat.

Deinde clamat: „Vultisne mecum ludere?“

Sed boves nihil respondent, solum herbam comedere iis placet. Itaque Mercurius primum eos tangit, deinde palpat, postremo eos secum ducere constituit:

Nam alias quoque partes terrae videre in animo habet.

Paulo post cum bobus ad litus maris venit.

cupere M: wünschen, wollen, begehren
sol, solis m.:
animal, animalis n.:
Tier



vultis: ihr wollt

herba, -ae: Gras
comedere =?
palpare 1: streicheln

Responde Latine:

Cur Mercurius e spelunca fugit? _____

Quid Mercurius in terra conspicit? _____

Timetne Mercurius boves? _____

Quid faciunt boves? _____

Ubi boves nunc sunt? _____

Diu Mercurius mare spectat. Saepe clamat: „Is locus summae pulchritudinis est!“ Subito testudinem mortuam conspicit: Iterum atque iterum animal alienum spectat cogitatque: „Quid facere possum?“

Postremo lyram primam ex eius corpore conficit. Statim eā canere incipit et mox, quod deus est et canere eum delectat, optime canere potest. Etiam boves voce lyrae delectat.

testudo, testudinis f.: Schildkröte;
mortuus/-a/-um: tot



lyra, -ae: Leier
canere 3: singen, *hier* spielen
incipere M: beginnen

Responde Latine:

Placetne Mercurio mare? _____

Pinge (zeichne) testudinem!

Quid Mercurius e testudine facit? _____

Amantne boves lyram? _____

Post meridiem Mercurius ad matrem redire in animo habet. Subito vir alienus ei appropinquat. Iratus clamat: „Hic es, fur! Nam ii boves mei boves sunt! Hostis meus es: Itaque pugna mecum! Certe te vinco. Sed dic mihi: Quomodo puer tam parvus multitudinem bovum rapere potest?“ Sed Mercurius ei solum respondet: „Quis es? Dic mihi nomen tuum!“ Vir dicit: „Apollo deus sum, filius Iovis et Latonae.“

post meridiem: am Nachmittag
redire: zurückkehren
fur, furis m.: Dieb

Tum Mercurius ridet: „Pugnare necesse non est. Nam frater meus es: Iupiter meus pater est, mater mea Maia. Mercurium me vocant.“ Nunc Apollo lyram videt interrogatque fratrem: „Quid tecum habes, Mercuri? Te iam canere audivi et vox mihi maxime placet!“ Mercurius, puer callidus, fratri respondet: „Si tu mihi boves tuas pulchras donas, ego tibi lyram dono. Etiam canere te doceo.“ Nunc Apollo maxime gaudet. Post multum tempus fratri novo tandem viam ad matrem monstrat.

Apollo, Apollinis: Apollon
Latona, -ae: Latona (griech. Leto)
frater, fratris m.: Bruder

audivi: ich habe gehört (Perfekt)
callidus/-a/-um: schlau

tempus, temporis n.: Zeit
tandem: endlich, schließlich

Responde Latine:

Quis est vir iratus? _____

Cur Apollo et Mercurius fratres sunt? Eundem _____ habent.

Cui postremo boves sunt? _____

Cui lyra est? _____